MEDITATA
IN CASVM MEDICO-PRACTICVM
DE
VOMITV BILIOSO IN GRAVIDA

DISSERTATIONE INAVGVRALI MEDICA
EX
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE ALTORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
PRIVILEGIA ET IMMVNITATES
DOCTORALES
LEGITIME IMPETRANDI
DIE III. MART. MDCCLXXX.
PVBLICAE DISQVISITIONI EXPOSITA

A
CAROLO HENRICO SPOHR
WOLTERSHVSA-HILDESIENSI.

ALTORFII
LITTERIS I. P. MEYERI.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24922201

SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAE AC PERILLVSTRIS
REIPVBLICAE
NORIMBERGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS
VIRIS
DOMINIS
DVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSVLIBVS
SENATORIBVS
DOMINIS AC MAECENATIBVS
GRATIOSISSIMIS
DE FELICITATE REIPVBLICAE
OPTIME MERITIS

REGIMEN FORTVNATVM ET TRANQVILLVM

VALETVDINEM INTEGRAM

VITAM LONGAEVAM

ATQVE

GENEROSISSIMARVM

FAMILIARVM

FLOREM PERENNEM

RELIGIOSA MENTE PRECATVS

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

OMNI QVA PAR EST REVERENTIA

CVLTV ET SVBMISSIONE

OFFERT ET DEDICAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVENTISSIMVS

C. H. SPOHR.

§. I.

Non librum de hepate conſcribere, nec bilem intime ſcrutari, mihi animus eſt. In utrisque inveſtigandis alii iamiam acriter deſudarunt. Ego vero, in uſum inauguralis ſpeciminis, mihi propoſui, ſub examen revocare caſum quendam medico-practicum, in quo femina gravida copioſis vomitibus bilioſis aliisque moleſtis ſymptomatibus, per temporis intervalla, graviter vexata, tandem ab iisdem malis ex uſu quorundam medicaminum feliciter liberata, meliori frui valetudine coeperat. Intereſt medicis vel maxime, ab effectu medicaminum ſalutari prudentes medendi regulas decerpere, quae tam ad Phyſiologiam et Pathologiam, quam ad Therapiam illuſtrandam apprime faciunt. *Introitus.*

§. II.

Vxor honeſtiſſima, in urbe inferioris Saxoniae percelebri degens, triginta ſex circiter annos nata, ſex liberorum mater, nunc ſeptimum *Hiſtoria morbi.*

gravida, ad menſem usque quartum geſtationis, inſolitis plane tentabatur vomitibus biliofis. Temperamentum illi erat cholerico-ſanguineum, ſtatura et habitus corporis mediocris, ſyſtema vero nervoſum valde ſenſibile; ideoque paſſionibus hyſtericis *ſubinde obnoxia.*

Haec quavis hebdomade tertia, *aliquoties ſingulis ſeptimanis,* violento *corripiebatur* vomitu *ſpaſmodico, quo* ingentem bilis viſcidae copiam *eructavit. Moleſtus ille vomitus per XII, XXIV, quinimo XXXXVIII horas, ſemel* per integros tres dies, *excruciabat miſere decumbentem. Olim quidem virgo adhuc, et antequam nuberet, ex commiſſo diaetae errore, interdum paſſa eſt vomitus; aſt non tanta cum vehementia et duratione, quanta nunc torquebatur, coniunctos. Hac ad emeſin proclivi ventriculi irritabilitate factum eſt, ut inito matrimonio* primis geſtationis menſibus vomitus matutini *evenirent, at rariores, minusque moleſti. Iam autem, invadente paroxyſmo, graviſſimis ſemper* capitis doloribus, *maxima virium proſtratione, ciborum nauſea, aliisque ſymptomatibus, abortum minitantibus, fuerat affecta. Lene emeticum, ex Ipecacoanha propinatum, vomitum quidem compeſcuit, ita, ut poſt excretionem* librarum duarum aut trium viſcidae bilis, *elapſis paucis horis, non ſolum immanis ceſſaret cephalalgia, ſed etiam ciborum rediret appetentia, ſitis vero urgens, ac* potulentorum ſubacidorum deſiderium *orirentur. Nibilominus tamen, decurrente una vel altera tranquilla ſeptimana, prior tragoedia triſtem reluſit ſcenam. Anſam*

rever-

revertenti morbo varia dedere accidentia. Quamvis enim aegrotans ſtomachum debilitatis haud accuſandum putaret, quoniam diebus a vomitu vacuis, omnis generis cibos abſque incommodo concoxiſſe, atque vel carnes ſalitas fumoque ſiccatas ſat bene digeſſiſſe, ſibi viſa eſt, alvus quoque quotidie, aut altero demum die, officio ſuo fungebatur; attamen onuſtum inde paullatim cruditatibus ventrem novam forte materiam, revocandis ſpaſmis idoneam, ſuggeſſiſſe, haud vanam foveo coniecturam. In primis novos toties experta eſt paſſionis ſuae inſultus, quoties a leviori corporis ſui aut refrigeratione, *aut* exaeſtuatione, *aut* iracundia, *irritabiles ſollicitaverat nervos; nec minus, ubi a prandio ſocietati familiarium et amicorum ad coenam usque ſeſe immiſcuerat, ſuavibusque colloquiis animum refocillare ſperaverat.*

Ceteroquin illa nunquam, quantum ego quidem memini, ſontico laboraverat morbo, niſi duos ante annos febre tertiana autumnali, *eaque valde pertinaci, quae, licet fugata viſa, iterum tamen iterumque reverſa eſt.*

Praeſentem vomitum rebellem ut abigerent, duo peritiſſimi et in arte ſua felices Medici, in conſilium vocati, multa quidem, ſed fruſtra, adhibuere remedia. Ita ſuccos herbarum recentium amararum, v. gr. Trifolii fibrini, etc. expreſſos, decoctum Quaſſiae, huiusque generis plura, quae tanquam euporiſta neoterici nimium quantum extollunt, itemque aquarum Pyrmontanarum potum ſuaſerunt. Harum ſedecim lagenas

cum

cum ex ordine praeſcripto hauſiſſet, tantum abfuit, ut inde levata et ab eructatione bilis copioſa evaſiſſet libera, ut potius vomitum per tres continuos dies protraxerit.

Mitiora laxantia, ſcilicet Rhabarbari radix, Cremor tartari, ac demum roborans cortex Peruvianus, cum Cinnamomo maritatus, alioquin ſat efficaces, dum propinabantur, ſalutarem haud attulere medelam.

Maritus, mihi amiciſſimus, miſerum lectiſſimae vxoris ſuae ſtatum, litteris conſignatum, ad me miſit, meumque de illo iudicium, ac, ſi fieri poſſet, conſilium petiit. Ego tenuitatis meae conſcius, explorato prius fautorum hac de re ſcrutinio, licet impari et a ſe invicem diſcedente, potiori tamen inhaeſi. Cauſas nempe vomitus potiſſimum amoliendas iudicavi. Illarum autem variae ex ſymptomatum examine animo obverſabantur. Dubius enim haeſeram, annon potius in hepate *et* duodeno, *quam in ſtomacho, vitium lateat?*

Calculorum, ſive renalium, ſive in veſica fellea haerentium, nulla aderant propiora indicia.

Vterus praegnans ſolus, etſi ſymbolam ſuam ad vomitum gravidarum conferat, praecipue in plethoricis, mihi tamen haud ſufficere viſus ad tantas, tamque enormes et frequentes, ſtomachi ſubuerſiones.

Indigeſtae cruditates, *in ventriculo et duodeno collectae, quae ſeditioſos primarum viarum tumultus, capitisque dolores ſympathicos, non*

raro

raro excitant, in cenſum veniunt; aſt immodica bilis viſcoſae profuſio *unde emergeret, maiorem popoſcit conſiderationem.*

Non minus ad diſpoſitionem nervorum debilem, et ad ſpaſmos revocandos proclivem, reſpiciendum eſſe, ratio monuit.

Sane difficile eſt, multiplices eiusmodi et inter ſe diſcrepantes cauſas, ad geneſin morbi concurrentes, in paucos indicationum numeros et anguſtas medendi regulas colligere. Non tamen ſingulis, ſed communibus et coniunctis, reſuſcitandi morbi ſtimulis, curatam opponere medelam, ſatius duxi. Ideoque indicationes eo collineabant, ut cauſas vomitus, qualescunque ſint, apte removerentur, eiusque frequens recurſus refrenaretur; inſimul cruditatum et bilis intemperatae proventus minueretur; ac demum ſyſtema nervoſum roboraretur, atque tonus primarum viarum naturalis reſtitueretur.

Hos in fines medicaminum ſequentes praeſcripſi formulas: Primum quidem decoctum ſuaſi in uſum potus ordinarii bibendum, cuius ope viſcida bilis attenuata, diluta et temperatior reddita, promptius ad tenuia procederet inteſtina, nec in duodeno cumulata ad ſtomachum facile regurgitaret.

℞. Rad. Gramin.
Cichor. ãa ℥j
Cort. Cinnam. ʒj
⌽tri ♁niat.
Cort. Aurant. Hiſp. ãa ʒj
Conciſ. M. D. S. *Species zum Trank, davon einen Löffel voll mit einer Maas Waſſers gekocht zu trinken.*

Huic potui ſubinde interponebatur ſerum lactis tamarindinatum. Porro pilulas addidi ſaponaceas, abſtergentes, aperientes et antiſpaſmodicas.

℞. Sapon. Venet.
Gummi ♓ci depur. aa ʒj
Extr. Cichor.
Rhabarb. aa ʒß
Pulv. Caſtor. Ruſſic. ℈j
M. f. pilul. pond. gr. ij. D. S. *Pillen, wovon des Nachts vor Schlafengehen* 5, 8, *bis* 10 *Stück zu nehmen.*

Denique propinare iuſſi Elixir viſcerale roborans, ſtomachicum et reſolvens.

℞. Elix. viſcer. Hoffm.
TRae. Rhabarb. 🜄oſ.
Liq. 🜃 fol. 🜿tari aa ℥ß
🝉 🜕tri dulc. rectif. ʒj
M. D. S. *Elixir, davon Morgens und gegen Mittag* 50 *Tropfen zu nehmen.*

Praeter haec non tantum diaetae ut rationem haberet, ſed etiam circa medium geſtationis tempus venam ſecandam curaret, ſerio commendavi.

Poſtquam Aegrota per integrum Auguſti menſem laudatis uſa eſt remediis, mariti eius litterae me de ſalutari illorum effectu reddidere certiorem. Nam licet ab incboata pharmacorum propinatione altero die vomitus illam quidem adorſus eſt, at leniſſimus, facilis brevique termino finitus,

ſinitus, quocum copioſa, tenax, viſcida et quaſi indurata, bilis *reiecta, adeo felici ſub eventu, ut tam capitis dolor, quam praecordiorum anxietas, ſimul ceſſarent. Ex eo tempore ab omni vomitus recurſu, eoque ipſo matutino, quo olim gravida tentabatur, nunc penitus evaſit libera, nec habuit, de quo amplius conquereretur, niſi de nauſea et cardialgia, ſubinde per momenta muſſitantibus. Hae tamen matutinae paſſiones ab uſu Elixirii rurſus illico ſiſtebantur. Quamvis autem in deglutiendis pilulis uſque ad XV vel XVI numero ſucceſſive adſcenderit; haud tamen naturalis alvi excretio ad quotidianos ſeceſſus reduci poterat. Corporis etiam gravitas et laſſitudo, ex frequentibus ſpaſmis ventrisque ſuccuſſionibus reſidua, atrocisque morbi memoriam revocans, paullatim diſparuere. Accidens demum* rheumaticus dextri brachii dolor, *noctu exacerbatus, qui omnem ſomni refectionem interceperat, ſucceſſu temporis etiam ceſſavit.*

In uſu praeſcriptorum remediorum pedetentim convaleſcens, per aliquot hebdomadas lubens perſeveravit, quinquies Elixirium, quater decoctum, et ter pilulas ex pharmacopolio repetens. Iam ſatis licet convicta de ſaluberrima medicaminum efficacitate, a me tamen petiit, ut quicquid ad abſolvendam feliciter curationem faceret, ipſi transſcriberem. Ego vero, ut decoctum continuaret, ſuaſi, et pilulas parum mutatas commendavi.

℞. Sa-

℞. Sapon. Venet. ℥iij
Gum. Galban. non depur.
Pulv. rad. Rhei el. finiſſ. aa ℥j
Caſtor. Ruſſic. ℈j
M. f. pill. c. laud. liq. Syd. q. ſ. pond. gr. ij. conſperg. pulv. cinnam. D. S. *Pillen, davon mit* 10 *Stück anzufangen, und wie die vorigen zu nehmen.*

His adiuta medicamentis Aegrota, ſanitatique integre reſtituta, iuſto partus tempore, ſcil. die XIX Decembris nuper finientis anni, feliciter enixa filiam optime valentem, ipſaque mater, recuperato interea partium robore, per DEI gratiam exoptata gaudet valetudine.

§. III.

Qualis morbus. In definiendo morbo prima incidit quaeſtio: ad quam praecipue claſſem eorum referenda ſit Aegrotantis paſſio? Primarium et moleſtiſſimum, quocum illa confliĉtabatur, ſymptoma, et a quo nomen meretur morbus, eſt *vomitus*, variis ſtipatus accidentibus, qui plura ſecum trahit cognomina, ſcilicet quod extiterit *gradu vehemens*, recurſu *intermittens* et *periodicus*, duratione *perſeverans*, periculo *gravis* et *anceps*, curatione *pertinax* et *rebellis*, attamen demum *compeſcibilis*, eventu *bonus* et *ſalutaris*, excretione *bilioſo-viſcoſus*, forma *praeternaturalis*, a repetitis inſultibus ſpaſmodicis, quibus placidus tardusque antea motus periſtalticus ſtomachi et duodeni, naturaliter deorſum tendens et progrediens, nunc retrograda et inverſa contraĉtione ſubitanea et violenta, quicquid liquidi in illorum cavitatibus continetur, confluit aut colligitur, ſurſum per oeſophagum et fauces impetu magno extruditur, conſpiranti-

ſpirantibus muſculorum diaphragmatis, pectoris et abdominis convulſivis actionibus.

§. IV.

Praeter has vomitus compellationes, ſuperſunt adhuc aliae potioresque diſtinguendi rationes, pluribus in morbis familiares et partim neceſſariae, a *cauſis*, *praecedentia*, *parte affecta* et *locis*, quibus inhaereant, petitae. Ab earum enim diagnoſi ad Therapiam rite inſtituendam multum lucis affulget. *Vomitus ſpecies ratione cauſarum.*

Sicuti alii morbi I) a praerogativa et cauſis potioribus denominantur et diſtinguuntur; ita quoque vomitus vocatur aut *protopathicus* (vocabulo hodie ferme oblivioni immerenter tradito,) primarius nempe et principalis, aut *ſymptomaticus*, tanquam illi priori oppoſitus, ſcilicet alii morbo accedens ſeu superveniens. Deinde II) a cauſa et loco affecto, vomitus appellatur aut *idiopathicus*, aut *ſympathicus*, oppoſitis invicem rationibus. Ille deſignat cauſam, in primis viis, nempe in loco affecto, haerentem; hic vero denotat cauſam in aliis, immo ſaepe remotis, partibus et locis quaerendam, in qua ſtomachus ex conſenſione, nexu et ſympathia quadam nervorum ad vomitum laceſſitur.

§. V.

Has diſtinguendi rationes exemplis illuſtrare iuvat. Admodum copioſae occurrunt vomitus cauſae et ſpecies. *Idiopathice* illum movent cruditates acidae, binoſae, viſcoſae, nidoroſae, putridae, febriles, indigeſta ventriculum gravantia, voracitas, fames canina, ebrietas et crapula heluonum, pinguia et oleoſa largiter *Docetur exemplis.*

 aſſumta,

aſſumta, emetica quaelibet, proportionata doſi propinata, draſtica purgantia immodico praebio data, venena corroſiva, delirantia, convulſiva ſive vegetabilia, ſive mineralia, arſenicalia, antimonialia, mercurialia, vitriolica, ſaturnina, raſura unguium humanorum, fumus tabaci, in non aſſuetis incaute deglutitus, ſanguis, vel pus, intra ſtomachum quando effunduntur et cumulantur, ventriculi inflammatio, vulnus, contuſio, eroſio, abſceſſus, vermes, inſecta deglutita, punctio ab aculeis, aciculis, vitri fragmentis, lapidibus devoratis, cartilagine ſterni enſiformi introrſum incurvato, cholera, hypercatharſis, aliaque plura, ſtomachum immediate ad motus excuſſorios laceſſentia, nec non illa praeternaturalis conditio, qua aſſumta alimenta in progreſſu ad inteſtina intercipiuntur, in ſpaſmo, obſtructione, ſcirrho, induratione pylori, item a rugoſa et tenaci membranarum ipſius ſtomachi contractura, expanſionem eius impediente; quinimo ab obſtructione oeſophagi per opercula ſcirrhoſa et heterogenea circa cardiam nata, quae deſcenſum et ingreſſum ciborum praecludunt, ſurſumque deglutita remittunt.

Sympathicum vero vomitum provocant calculus, tam renalis per ureteres ad veſicam tendens, quam cholelithus ille, e veſica fellea per ductum cyſticum et choledochum deſcendens, hernia incarcerata, ileus, hepatis, lienis, diaphragmatis aut inteſtinorum inflammatio, colica, vulnus capitis grave, caſus ab alto, vertebrarum lumbarium luxatio et ſubluxatio, in aliquibus graviditas, abortus et partus, navigatio, vectio in rheda dorſo praeeunte, rotatio, nauſea, adſpectus rerum nauſeoſarum, foetor adverſiſſimus, terror gravis ſubitaneus, febres quaedam exanthematicae et inter-

intermittentes, tuſſis valida, dentitio infantum, lumbricus latus, aliaque, quae tam *ſympathice*, quam *ſymptomatice*, emeſin excitant. Denique *ab excretis* vomitus cognominatur aquoſus, viſcoſus, bilioſus, acidus, porraceus, cruentus, purulentus, ſtercoreus, venenoſus, verminoſus, indigeſtorum, vacuus, et irritus in dyſemetis.

§. VI.

In praeſenti, quem tractamus, caſu vomitus compellari meretur *protopathicus*, utpote morbus primarius, et tanquam moleſtiſſimum urgens ſymptoma; *idiopathicus*, quoniam colluvies bilioſa et viſcoſa collecta, primas vias ad anotericas excretiones, poſt intervalla revertentes, incitavit; denique *ſymptomaticus* et reſpective *ſympathicus*, dum remotius a conceptione et geſtatione uteri, aliisque cauſis concurrentibus, originem traxit ſuam. *Qualis in hoc caſu?*

§. VII.

Si hiſtoriam morbi attento ruminamus animo, plures in illa reperimus cauſas, quae coniunctis viribus ſymbolam ſuam ad vomitum periodicum contulere. *Cauſae concurrentes.*

I) Proclivitas ad vomitum. Haec enim pathematum conditio, quo ſaepius accidit, eo magis tandem evadit habitualis, atque a conſuetudine quaſi naturalis, ita ut levi ex cauſa ſoliti motus morboſi reſuſcitentur. Quod autem Aegrota a multis inde annis ad vomendum extiterit facilis, illud vel inde patet, dum non ſolum ante coniugium, ab errore in diaeta commiſſo, cruditates collectas ſurſum eiecit, ſed etiam in coniugio ferme toties, quoties utero conceperat, primis geſtationis menſibus vomitus paſſa

eſt matutinos, more aliarum feminarum haud infrequenti. Tunc autem non adeo immanis, diuturna et violenta, ſed moderata et tranſiens acciderat excretio, quae valetudinem non uſque deiiceret, quin orthoſtadia rebus domeſticis praeeſſe potuerit. Nunc autem aſperrime et longius ſaeviebat per plures horas et dies recurrens vomitus.

II) Temperamentum cholerico-ſanguineum, quod in vehementes motus facile erumpit, biliſque copiam maiorem ingenerat.

III) Graviditas inter cauſas remotas omnino locum habet, dum in plethoricis iunioribus feminis, in quibus a conceptione vomitus contingit ſymptomaticus, ſanguis nunc in ſuppreſſa excretione menſtrua retentus, et cumulatus ad viſcera abdominis regurgitans, ſpaſmodicos eiusmodi motus in aliquibus provocat.

IV) Senſibilitas ſyſtematis nervoſi irritabilis. Nam Aegrota non ſolum hyſtericis paſſionibus dudum ante fuerat obnoxia, ſed nunc etiam a refrigerato, vel exaeſtuante corpore, vel iracundiae ſtimulo, aut ubi per aliquot horas inter familiares conſederat, paroxyſmo emetico tentata eſt.

V) Bilis viſcidae abundantia et intemperies.

VI) Dyſpeptorum recrementa, atque ex gulae indulgentia aſſumtorum reculae, aliaque incitamenta, de quibus in ſequentibus commoda diſſerendi occaſio dabitur.

§. VIII.

Cauſa proxima. Ex hiſtoria morbi proximam atrocis vomitus cauſam in *ſpeciali* et *valida irritatione primarum viarum* ad violentos motus emeticos

ticos ponendam eſſe iudico. Quamvis enim ſtomachus tanquam primum, amplum et dilatabile, receptaculum ſit conſiderandum, quod omnis generis tam alimenta, quam medicamenta alterantia, qualitate, ſapore, odore, penetrante et vellicante virtute, inter ſe diverſa ac multiplici, ſine offenſionis periculo, tranquille in ſe recipit, aliquandiu continet, ac demum ad duodenum demittit; nobilis tamen huius viſceris integritas ut conſervetur, ea ipſi conceſſa eſt peculiaris ſenſatio et irritabilitas, qua mediante, ſi quid in ſe contineat, aut receperit, quod eius ſtructuram et actionem naturalem, univerſo corpori proficuam, pervertere, noxamque apertam, ſive corroſione, ſive inflammatione, ſive alia ratione, ipſi affricare poſſit, infenſam materiam vomitibus repetitis expellere valeat. Haec tamen plurimum ſalutaris excretio, ſive ſpontanea ſit, ſive per artem et emetica proliciatur, pro differentia ſubiectorum, in aliis citius, in aliis tardius, procedit, nec a levi ſtimulo in omnibus ſtatim prorumpit. Ea nempe requiritur adverſarum rerum conditio, vis et copia, quae ſufficiat, ad violentos eiusmodi motus, quos natura in robuſtis aegre ſuſcipit, proritandos. Etenim emetica, iuſto minori doſi propinata, itemque purgantia mitiora, non ſtomachum, quem impune tranſcendunt, ſed inteſtina ad catharſes ſollicitant. Sic cruditates in ſtomacho collectae, vel febrilis ſaburra duodeno inhaerens, non raro ſat diu in primis hoſpitantur viis abſque vomitus acceſſione. Pari modo Aegrota ſat longas experta inducias, donec viſcida bilis, denuo collecta, pacis tranquillitatem abrupit.

§. IX.

Bilioſo-viſcoſa cruditas.

Quod autem, praeter cauſas §. VII. allegatas, maximam morbi culpam in *cruditates bilioſo-viſcoſas*, per intervalla temporis collectas, reiiciam, ad illud credendum variae me commovent rationes. Quoties enim Aegrota magnam viſcidae bilis copiam funditus ſurſum exantlaverat; toties per plures dies a vomitu eiuſque coniunctis ſymptomatibus evaſit libera. Remota nempe et ceſſante morbi cauſa, ceſſabant etiam eius effectus. Similes morbi inducias per duas et ultra ſeptimanas attulit Ipecacuanha, poſtquam duas aut tres libras viſcidae bilis exhauſerat. Ablatis ita vomitus incitamentis, non ille tantum, ſed coniuncta quoque pathemata cephalalgiae et anorexiae ſublata ſunt, uſque dum nova bilis colluvies, a ſpaſtica inteſtinorum tenuium conſtrictione cumulata, denuo ſeditioſam anſam renovandi tumultus ſuppeditavit. Porro deſiderium potuum ſubacidorum, ex naturali iuvantium reminiſcentia ortum, quod ſuperato paroxyſmo reſtabat, indicio eſt, amaritiem reſiduam indiguiſſe antidoto correctore, ſcilicet acidulis potulentis, quae diluendo, alterando et abſtergendo, alcalinam et rodentem bilis ferociam compeſcerent. Denique notatu maxime dignum cenſeo, vomitum acerbum et periodicum non penitus ceſſaſſe, niſi tunc demum, cum ab uſu medicaminum praeſcriptorum copioſa, tenax, viſcida et *quaſi indurata bilis* ultima vice eructaretur. Hac enim feliciter et facile ſub finem morbi excreta, omnes ſiluere vomendi conatus, ſymptomata ſopita, et ſanitas melior integraque reverſa. Haec bilis, tenax et quaſi indurata, unde ortum traxerit, difficile omnino eſt, pro certo definire et adſerere. Dubium enim et anceps haeret iudicium: utrum

in

in veſicula fellea, an in ductibus hepaticis, cyſtico aut choledocho, adeo diu ſine icteri complicatione latere potuerit? an calculus biliarius a potu aquarum Pyrmontanarum ſucceſſive emollitus tandem ſeceſſerit? an vero bilis ſolito ſpiſſior duodeno adglutinata ſubinde progreſſum affluentis novae bilis impediverit, atque operculi ad inſtar ieiuni initia obturando collectioni bilis anſam dederit? an muco ſtomachi aut duodeni tenacius implicita bilis, tandemque inſpiſſata induruerit, ac maiorem mora acrimoniam conceperit? an a febre tertiana rebelli, ante duos annos aliquoties recidivante, vitium quoddam in hepate remanſerit? In enodandis his quaeſtionibus nihil certi enunciare me poſſe, libere fateor, utpote qui propter abſentiam intime inveſtigare ſingula harum rerum indicia mihi non fuit integrum. Id vero pro certo aſſeverare valeo, praeternaturalem bilis indolem et copiam extitiſſe praecipuam et materialem vomitus cauſam.

§. X.

Vnde bilis copia?

Ex Phyſiologia et Anatome ſatis notum eſt et comprobatum, magnam bilis copiam in hepate praeparari et quotidie ſecerni. Omnis enim venoſus ſanguis, a meſenterio, inteſtinis, liene, ſtomacho, omento et pancreate, immo ab ipſa veſicula fellea indeſinenter refluus, in venam portae ſat amplam infunditur, ex qua per grande et rubicundum hepatis viſcus diſtribuitur. Inſignis illa ſanguinis quantitas, in amplum, ſpongioſum et vaſculoſum hepatis parenchyma perpetim confluens, certo eſt documento, magnam vim bilioſi humoris in illo tam praeparari, quam continuo ſecerni. Huc accedit locus commodiſſimus, in quo hepar ſitum obtinuit ſuum. Nam dum ſub diaphragmate poſitum ab huius alterna

terna preſſione et relaxatione, atque mutua muſculorum abdominalium inter reſpirandum, aut laborandum agitatione, modo ſurſum, modo deorſum molliter comprimitur et elevatur; fit inde, ut ad inſtar ſpongiae ſanguinem appulſum nunc imbibat et ſugat quaſi, nunc ſuperfluum et officio defunctum in venas cavae remittat, et quicquid nunc a ſanguinis maſſa in formam bilis extractum, atque in ductus biliarios depoſitum eſt, ex his ſine mora protrudatur. Singulis ergo temporis momentis neceſſe eſt, bilem in hepate paratam prono et aperto ductuum hepaticorum alveo partim in cyſtidem, partim ad duodenum provolvi. Blande enim quaſſatum et molliter ſubactum viſcus non poteſt diu retinere bilem in ductibus hepaticis ita, ceu in cyſtide. Hac ex cauſa poſt obitum animalium non invenimus copiam bilis in ductibus hepaticis, qualem in veſicula fellea, eamque non in omnibus aequali quantitate reperimus. Porro ſi comparamus molem hepatis cum reſpective exiguo volumine glandularum lacrymalium, ſalivalium, pancreatis, renum, ex quibus tamen ſubinde copioſa promanat ſecretio humorum; quanto maior non illa ſperanda in hepate grandi et ſanguineo?

Duplicis quidem generis bilis ex hepate depluit, et per communem ductum choledochum intra duodenum infunditur. Altera nempe hepatica dicitur, quae fluidior, minus amara et temperata; altera cyſtica, quae in veſicula fellea, dum colligitur, per moram et calorem magis excocta, amaritie, penetratione ac ſaepius ſpiſſitudine illam priorem multum antecellit. Duplici huic bili liquor pancreaticus in homine admiſcetur, quo illa et diluatur et attemperetur.

Inſignes

Inſignes bilis naturalis et temperatae uſus, eiusque ad ſanitatem vitamque conſervandam neceſſitatem, heic recenſere ſupervacaneum duco. Id vero reticere non poſſum, illam varios excitare morbos, ſi aut quantitate, aut qualitate, et temperie, motu atque loco, peccet; id quod cholera, diarrhoea bilioſa, febres bilioſae, et icterus, ſatis comprobant. Noſtro in caſu enormes commoverat vomitus, per temporis intervalla recurrentes. Quod autem tam quantitas, quam coniuncta intemperies viſcoſa bilis, incitamentum dederit vomitibus, id ex eo coniicimus, quod tunc demum vomitus reverſi ſunt, quando accumulata bilis, ſive illa a ſpaſmis duodeni, ſive a ſpiſſa et quaſi indurata conditione, in naturali et paulatino progreſſu ad tenuia inteſtina fuit impedita. Sana quidem et integra bilis nunquam vomitus excitat, eaque in caſu noſtro ſat longas permiſit inducias. Simul vero ac vel copia, vel acrimonia irritante, vel tenaci viſciditate iuſto longius inhaerens evaſit moleſta, tunc morbum, ut recrudeſceret, effecit.

§. XI.

Sicuti bilis a naturali conſtitutione conſiſtentiae non raro in morbis declinat, adeo ut aquoſitate, tenuitate, inertia et fatua vappeſcentia peccet: ita ex adverſo ſpiſſitudine, pituitoſa tenacitate, vitrea et glutinoſa viſcoſitate aliquando alienam a ſtatu ſano induit formam. Hanc bilis ſpiſſitudinem, potiſſimum in veſicula fellea turgentem, per ſectionem in morbo defunctis ſaepe repertam eſſe, multa comprobant medicorum teſtimonia. Haud tamen aſſeverare auſim, omnem, quam Aegrota vomitu excrevit materiem, non niſi meram extitiſſe bilem, aut viſcedinem con- *Vnde viſcoſitas eius?*

 ſpicuam,

ſpicuam, ab hepate et bile tantum derivandam. Modica enim bilis portio multum aquae amaritie ſua inquinat, atque flavedine tingit. Auxit ſine dubio illius multitudinem, praeter potulenta, mucus ille naturalis, temperatus et glutinoſus, qui parietes internos duodeni et ſtomachi oblinit et circumdat, atque in vomitu ſimul exprimitur bili permixtus. Forſan lagenae ſedecim aquae Pyrmontanae, ſucceſſive exhauſtae, cum viſcoſitatem, in hepate et cyſtide collectam et reſiduam, abluiſſent dilutam et abſterſam, id demum praeſtarunt, ut per integros tres dies viſcoſus vomitus ſit protractus. En varias cauſas viſcidae bilis reiectae!

§. XII.

De viribus medicaminum.

Iam ad rationes progredior, ex quibus medicamenta praeſcripta, ſublato vomitu, ſanitatem Aegrotanti conciliarunt. Decoctum, ex radice Graminis et Cichorii paratum, non ſolum attenuandis, diluendis et temperandis humoribus, ſed etiam aperiendis et abſtergendis vaſis hepatis, ſordibus quoque duodeni et inteſtinorum tenacibus abluendis deſtinatum erat. Nitrum antimoniatum adiectum eo fine, ut aeque incideret pituitoſum, ac orgaſmum ſanguinis et bilis turgeſcentiam minueret. Ne tamen ſtomachus nimis relaxaretur; admixtum decocto Cinnamomum et cortex Aurantiorum Hiſpanicorum, roborandi cauſa. Eadem et digeſtionis iuvandae intentione Elixir viſcerale cum -Ω- 🜕tri dulc. propinatum, ut et flatulentiae diſcutiantur, et ſpaſmi refrenentur. Sic hyſtericis paſſionibus oppoſitum Caſtoreum et Galbanum. Sapo venetus, Liquor 🜃 fol. 🜿tari, Rhabarbarum et Gummi ammoniacum, liquandis, detergendis et per inferiora ſucceſſive abducendis ſordi-

ſordibus, ne cumulatae vomitum revocent, opem contulere commodam. His nempe ſubſidiis tam vomitus cauſae remotae, quam ſymptomata mitigata ſunt.

§. XIII.

Has ut laborum primitias in uſus colligam practicos, conſectaria quaedam huc annectere liceat. *Conſectaria practica.*

Multi morbi ex primis ordiuntur viis.

Saepe beneficium naturae eſt vomitus, ſi cauſam morbi, in primis haerentem viis, tempeſtive exturbat. Ita nempe vomitus vomitui evadit remedio.

Hinc opiata in vomitu ex cruditatibus neque ſecura ſunt, neque ſalutaria. Excretione enim illarum ſublata aut ſopita, cruditates non modo augentur, ſed etiam retenta per moram et calorem in peiorem ſaepe degenerant pravitatem.

Mitiora medicamenta ſemper praeferenda potentioribus, praecipue in debilioribus, quorum ſyſtema nervoſum magis irritabile et ad motus ſpaſmodicos proclivius.

Aromatica et calidiora, itemque martialia et adſtringentia, non ſunt adaequata remedia ad coërcendum vomitum bilioſum.

In hoc quoque nauſeoſa et amaritie praepollentia pharmaca, bilis acorem magis augent, quam minuunt.

Incidentia temperata, abſterſiva et lenientia, qualia ſunt Rhabarbarum, Liqu. 🜄 fol. ♀tari, pauca ⦶oſa et Sapo venetus, in vomitu bilioſo-viſcoſo praeſtantiora ſunt draſticis et aquis mineralibus medicatis.

Vomi-

Vomitus, etiamſi validi et recurrentes, in gravidis non ſemper abortum provocant.

Artis eſt, multisque implicitum difficultatibus, motus ſpaſmodicos apte compeſcere.

Spaſmi interni, quando intrinſeca deſerunt, non raro ad artus externos divagantes, rheumatiſmum membrorum poſt ſe trahunt.

Difficile eſt, complicatis ſymptomatibus in aegrotis, nimia ſenſibilitate praeditis, ita proſpicere, ne dum uni abigendo laboramus, alteri addamus calcar.

Effectus ſalutaris medicaminum teſtatur de cauſa et ſpecie morbi.

Forte ſedimentum potus Caffé, viſcoſitati implicitum, formam inſpiſſatae bilis induit. De hoc autem, quia in abſentia iudicare eſt impoſſibile, nihil certi affirmans, inter problemata id repono.